



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus VII. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS VII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum,

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 26. lib. Genes. in quo describitur peregrinatio Isaac ejusque Benedictio, puteorum apertura.

N.42. Considera: **C**hristianum hominem Viatorem hujus mundi, ut suo satisfaciat muneri & officio, debere se ita gerere, ut dici de illo valeat, quod dicit de Isaaco S. Scriptura hujus cap. v. 13. *Ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* In Baptismatis Lavacro efficimur oves tonsæ: quia veteris Adami terrena indumenta exuimus, induentes novi Adami candorem; inde ascendendum instar gregum tonfarum Canticorum 4. v. 2. de virtute videlicet in virtutem. *Nulli servo Dei in eodem statu diu esse conceditur,* ait S. Bernardus Epist. ad ff. de vita solit. *Aut semper proficiendum, aut deficiendum est; aut sursum nititur, aut ad inferiora urgetur.* Ut quis caelo dignum se reddat, parvulos imitetur necesse est Matth. 18. At quid parvulis à natura magis inditum, quàm omni tempore, dormiant sive vigilent tacitis augmentis crescere, & in statura progredi? quare etiam Christus Dominus discipulos suos non viros, sed pueros appellat. Joan. 21. dicens: *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* pueros inquam appellat, ut sicut illi in corpore, ita discipuli in virtute incrementa acquirant. Quamdiu hic vivitur, nulli Christiano fas est exclamare cum Petro Matth. 17. *Bonum est nos hic esse,* sufficit has & has virtutes obtinuisse: sed obtemperandum verbis Christi: *Ecce! ascendimus Jerosolymam,* non corporis gressibus, sed virtutum exercitiis. Completò hujus peregrinationis cursu, non ante auditur: *Dormite jam, & requiescite.* Matthæi 26. Regius Vates plurimos annos consumpserat in virtutis studiò: erat in precibus assiduus, in charitate erga Deum & proximum igneus, in mortificatione continuus. Verbò in omni bonorum operum exercitio indefessus; nec tamen unquam sibi quiescendum ratus, exclamabat quotidie. *Dixi, nunc cepti* Psal. 76. quærit Joannes de S. Geminiano; cur caelestis sponsus dilectif-

lectissimæ suæ staturam palmæ potiùs, quàm alteri assimilârit arbori, inquit Canticorum 7. *Statura tua assimilata est palma.* Quid enim præ aliis natura dedit huic arbori? sed ingeniosè ociùs respondens ait: palma quò annosior, èò fructuosior. Arborea reliquæ cum proficiunt ætate, deficiunt fructu, steriles effectæ; palma verò quò magis crescit ætate, crescit fertilitate magis. Talem ergo se exhibeat Christiana anima, si Sponsæ Christi nomen & omen habere cupit: quò plures in ætate numerat annos, èò plures in spiritali profectu virtutes numeret: ne dum non progreditur, regrediatur. *Iustorum semita*, ait sacer textus Proverb. 4. *Quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Justus proinde dici non merebitur, qui adeò sibi de obtenta Justitia blanditur, ut quò ulterius crescat ipsius Justitia, non inveniat. Non comprehensores in hac vita Justitiæ, sed sectatores beatos prædicat divina sapientia: *Beati qui esuriunt Justitiam &c.* Et hinc non se terminum sed *viam* nominat, inquit: *Ego sum via:* ad quem autem finem datur via, quàm ad prosequendum iter? amulari nos oportet Cherubica animalia, quæ in admirando suo raptu viderat Propheta Ezechiel c. 1. asserens: *Non revertentur, cum incederent: sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Age igitur Christiane Lector in stadio perfectionis posite, gradiaris & tu tot virorum illustrium exempla sequens, qui illud strenuè gradiebantur non reverti ad vitia, quibus ante assueverant. Non sit tibi molestum, in hac progredi semita, quando æternâ quiete frui poteris in meta, dicturus aliquando cum gentium Doctore: *Cursum consumavi:* stadium longum non est, quod vix punctum vocari poterit respectu termini, qui te cursorem exspectat. Tunc autem, quod in cursu tuo neglexeris, totâ æternitate non reparabis amplius. Curre igitur velocissimè, quia tempus, quod cursui tuo destinatum est, non currit tantum, sed evolat, & de hodierno die te non facit certum. *Currendum ergo & agendum est modò, quod in æternum expediat,* hortatur me & te sanctissimus & perfectionis studiosissimus meus Legislato S. Benedictus in sua Regula.

Considera porrò: Quomodò Deus impiis tanquam instrumentis utatur, quibus justos in vita cruciet: sic enim Palæstinis usus est ad vexandum Isaac, dum ei puteos à Servis Abraham olim effossos obstruxere. Verum sicut Isaac illatam sibi injuriam æquò supportavit animo, novos fodiendò puteos, ita nos Christianos docet; quâ men-

te ferre debeamus cruces & injurias, ab impiis inferendas, nec inde moveri, ut à piis operibus & virtutum exercitio desistamus, sed continuo novos puteos meritorum aquis repletos comparemus, audituri, quod audiit Isaac v. 24. hujus cap. *Noli timere, quia ego tecum sum.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 27. lib. Genes. in quo describitur Paterna Benedictio data Jacobo, & inde exorta indignatio & invidia Esau.

N.43. Considera: **Q**Uam verissimè mellifluus Doctor invidiam nominet *malum intestinum & domesticum*, Serm. 29. in Cant. Non enim extraneorum pectora, sed etiam proximè cognatorum fatali inficit venenò, ut suò exemplò hìc docuit Esau, Germano suo paternam Benedictionem invidens, ad quam tamen Jus omne jam antea vendiderat. O insensate Esau! quid tot in fronte rugæ? quid tuus in vultu pallor, in labiis tremor, in dentibus stridor, in ore murmur, in manibus jactantia tibi proderit? nunquid per hæc invidiæ tuæ signa parentem movebis, ad revocandam Benedictionem Jacobo semel datam? hoc tantum agis, ut tortorem & carnificem tui agas: an enim nescis invidiam ferro similem esse, quod à sanguine, quem fudit, rubiginem attrahit, à qua exeditur? nonne invidia priùs in propria sævit viscera, quàm lædat proximi bona? hinc effatum est regis sapientissimi Proverb. 14. *Putredo ossium invidia.* Omnia alia vitia à boni cujusque specie aut voluptate ortum habent, sola invidia ex sui tormento. Quare Curtius l. 8. asserit: *Invidi homines nil aliud sunt nisi ipsorum tormenta.* Enim verò si quæras avarum Euclionem: cur tam sordidè vivat, dies noctesque sine quiete transigat? reponet: recreari oculos suos, pascique fulgore auri argentique, quod in Arca repositum cernat. Ambitiosum si interrogas: cur toties terat Aulæ limina? sit in labore tam assiduus, in servitio tam infatigabilis? reponet ille: nil in humanis rebus gloria & honore, quem obtenturum se speret, majus esse. Si scisciteris ex helluone: cur in bestiam degenerans, ad eò se cibis & potu ingurgitet, non ægrè ferens dolores capitis, debilitates stomachii? reponet ille: *Vinum lætificat cor hominis.* Verbò: cuiuslibet vitio videtur inesse utilitas ac delectatio aliqua, sola invidia his caret. Anacharsis invidiam *feram* nominare consueverat,

rat, quæ animam non solum in multas partes divideret, sed crudelissimis dentibus laniaret. Dionysius Siciliae tyrannus priusquam hostes suos è medio tolleret, eorum fortunas æmulis transcripsit, ut invidia acrius, quam ipsa morte torquerentur. Audierat Saul hanc puellarum cantilenam: *Percussit Saul mille & David decem millia, & invidia correptus, quidquid gloriæ de prostrato Goliath Davidi accesserat, quasi violenter sibi detractum ratus, irâ inflammari, torvis oculis generum intueri, quin etiam de ipsius cæde jam consilia agitare incipit. Non sapiebant amplius cibi, non musica aures recreabat: sed livore & bile ebrius, integras noctes insomnes duxit, ægrè trahens spiritum, crebris suspiriis interceptum. Miserrimum invidi hujus statum perpendens S. Hieron. in c. 13. lib. 3. Reg. ait: Cur Saul irasceris, & laus patriæ Salvatoris tibi displicet? jam cum tigre nobis sermo est non cum homine: & qui tigris invidia evaserat, mores illius imitabatur in cantu feminarum. Sicut ergo tigres musicò concentu in furias agi solent, & si non habeant aliud, quod lacerent, in propria viscera stringunt ungues: ita Saul auditâ Davidis laude; cum eum hastâ lædere non posset, se ipsum macie conficere cœpit paulò post lanceâ interemptus. Concludo hanc Doctrinam verbis S. Augustini Serm. 83. de temp. dicentis: Consideret unusquisque conscientiam suam: & si videt prosperitate proximi sui se invidia venenò percussus, evellat de pectore suo spinas & tribulos, ut eo semen Domini, quasi in fertili agro multiplicatâ segete luminis concipiatur, ut amaritudo invidiæ Christi dulcedine leniatur*

Cæterum sicut Jacob non potens vocem suam mutare, quæ ab intrinseco provenit, sed tantum mutare valens externam manuum speciem, meritò sibi timere debuit de futura parentis maledictione: ita timeat maledictionem Christi Christianus homo, qui cernens proximi fortunam, ei quidem applaudit signis externis, fovendò interim in mente livorem & invidiam.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 28. lib. Genes. in quo describitur Mystica Scala Visio peregrinantis Jacobi, Benedictio & Votum.

Considera 1. **Q**UOD Electi piique homines à reprobis & impiis persecutionem patientes, gerere se debeant instar Jacobi, N.44.

bi, qui auditō matris & patris, fugam suadentium, consiliō, abiit ē paterna domo in Mesopotamiam. Haud secūs illi persecutionis tempore per suspiria & fervidas preces iter arripiant in cœlum, rogandō Deum; ut ipsis patientiam uxoris locō conjugat, ad generandum ex ea multorum meritorum proles. *Nihil enim utilius*, ait Ruffinus Presbyter in Psal. 60. *potest facere servus Dei*, quem necesse est in hac vita pati, *quàm orare*. Est enim oratio mystica illa scala, quæ se spectandam dedit Jacobo dormienti, & per quam descendentes vidit Angelos, ad ferenda auxilia à Deo missos. Est brachium illud per quod instar Jacobi per totam noctem hujus vitæ colluctamur Deo, non dimittendō eum, donec benedixerit nobis. Est clamor ille Israëliticus, qui durā servitute pressos, & extremam persecutionem à Pharaone passos, libertati restituit. Est cithara illa Davidis, quæ spiritus infernales in fugam abegit. Est ros ille cœlestis, qui fornacis Babylonæ flammæ & incendia extinxit. Dic quæso Christiane Lector: an aliqua necessitas in terris unquam reperta, quæ per ipsam non fuerit sublevata? fugitivus ex Ægypto populus gravī ciborum penuriâ in deserto cœperat vexari: Sed en! *petierunt, & pane cœli saturavit eos*: dum angelicis coctum manibūs manna in castra eorum cecidit. Devoratus ab immani ceto Jonas sibi haud dubiè moriendum credebat, sed *oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre ceti*, & incolumis evasit. Oravit Abraham, & in decrepita ætate filium impetravit. Oravit Joseph à fratribus venditus, ab Hero suo in carcerem compactus, sed libertatem cum grandi Pro-Regis Titulo obtinuit. Oravit Moyses, & contra se assurgentem Abimelech stravit, aut in fugam abegit. Oravit sterilis Anna, & Prophetæ celeberrimi effecta est mater. Oravit Sara, & Asmodæum superavit. Oravit Esther, & populum suum jam ad mortem damnatum liberavit. Oravit Judith, & de Holoferne Victrix sola Bethuliam in tuto posuit. Oravit Daniel, & famelicos Leonum dentes compescuit. Oravit demum Ecclesia (ut innumera præteream exempla) pro libertate Petri, & quantocius adfuit angelus, qui eductum de carcere neci eripuit. Licet ergo mihi cum Augustino tract. de mis. to. 10. exclamare; *quid est oratione præclarior? quid vita nostra utilior.*

N.45.

Considera 2. Quod si Deus tantum Cultum & Reverentiam voluerit impendi loco, quem in hac visione spectandum dederat Jacobo, quantum cultum & reverentiam impendi velit locis, quos reali

cor-

corporis & Sanguinis sui præsentia sanctificat? quis stabulum Bethle-
 miticum ingrediens, ipsius loci non summâ veneratione tangeretur?
 quis factum illud Adriani Imp. prorsus sacrilegum non detestaretur?
 qui, ut loci hujus Religionem tolleret, in eo statuum Adonidis erexit.
 Nunc verò in Templis, ubi Deus noster non unò vel alterò die, sed
 per integra sæcula corporaliter residet, novos Adonides erigunt Chri-
 stiani toties, quoties Tempa in vestitu & gestibus dissoluti, in oculis
 curiosi, in verbis procaces frequentant. Tales alloquens S. Chryso-
 st. Homil. 24. in Matth. ait: *Quid facis ô homo? mulieris speciem confusus in
 Ecclesia perscrutaris, nec horrescis: tantâ Dei Templum afficiens contumeliâ? Pro-
 stibulum tibi videtur Ecclesia & forò ignobilior: nam in foro erubescis, etiam ti-
 mes, ne quis te videat, mulierem sectari. In Ecclesia verò Dei, cum ipse Deus te al-
 loquitur, & ab istis deterreat, eò ipsò tempore maximè fornicatione & adulteriò
 uteris &c.* Filii Aaronis contra Religionis suæ Jura alienum ignem au-
 fi in Templum deferre, flammis consumpti sunt: quò supplicio tuis-
 sent puniti, si etiam impurum ignem intulissent? & tu amoribus ad-
 dicte juvenis in ipsum Dei Sacramentum & Sancta Sanctorum non ve-
 reris libidinosas inferre faces, & insanæ cupiditatis excitare incendia?
 ea est Turcarum in suas Moschæas Reverentia, ut nullum in eis pa-
 tiantur canem: & tu Christiane Deo incarnato appropinques, non
 tantum instar canis, sed etiam instar sordidissimi porci te habendò;
 dum immunditias, quas illi è cæno deferunt in corpore, tu à libidi-
 ne defers in pectore & mente? at demus, te Christiane Lector non
 horum è numero esse, qui veneris actibus Tempa conspurcant; hos
 tamen inter vix non unus eris, qui in Templo garrere, ridere, dormi-
 re præsumunt? Rotgerus Monachus refert de S. Brunone Archiepi-
 scopo Colloniensi, quòd Sanctus iste inter suum fratrem Henricum
 & Cunonem affinem nimiam colloquendi familiaritatem cernens
 tempore Missarum, prælagò spiritu eis prædixerit: ò! in quantam
 inimicitiarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo malè
 parta contubernia resolventur! pœnam hanc docuit eventus Suriò
 teste 11. Octob. dum Cuno Hungaris se jungens, Henrici & Imperii
 juratissimus evasit hostis. Non putas forsan: ridentes in Templo
 puniri? audi, quid memoret Rupertus Abbas Tuitiensis in vita S. He-
 riberti. Cùm Episcopus Argentoratensis in Missa ad Pax vobis effu-
 sius risisset, in prandio eò laterum dolore correptus est, ut intra pau-
 corum dierum spatium mortuus plangeretur, punitus in membro,

quod sedes risus est. Pro dormientibus in Ecclesia, vindictam Dei pariter non dormire, testatur Surius 17. Febr. Dauferius Diaconus in Templo commorans, cum B. Constabilis Abbatis Cavensis sepulchro innixus, tantisper caperet somnum, apparentem sibi illico conspicit sanctum, qui asserit: *Quare de sepulchro meo facis grabatum?* Diaconus terrore quidem excitari, sed paulo post sui iterum oblitus, obdormire incepit. At illico à Beato audit: *Nonne tibi prohibui, ut de sepulchro meo, non faceres tibi grabatum?* his auditis ocius è somno surgens, brachium suum adeo contractum sensit, ut ejusdem movendi omni careret facultate: facti tamen poenitens, & supplex sancto factus pro sanctitate, pristinas brachii vires obtinuit. Has poenas considerans perge nunc garrere, ridere, aut dormire in Templo, si putas, paribus poenis te non posse à Deo affici.

Doctrina 4.

Desumpta ex capite 29. lib. Genes. in quo describitur adventus Jacobi ad Laban, servitus, Nuptia cum Lia & Rachel.

- N. 46. *Considera:* **P**eccatori ad Deum convertendo occurrere Pastores ovium, Presbyteros Ecclesiae: qui, ut spem veniae à Deo obtinendae ipsi faciant, & sic ad veram poenitentiam ipsum disponant, monstrant ei speciosam Rachelem, divinam videlicet Misericordiam; quae cum Jacobo conspecta peccator, per sinceram scelerum suorum confessionem amovet à puteo pectoris sui grandem illum *raciturnitatis & verecundiae* lapidem, quod os ejus fuerat à Dæmone clausum. Occurrit ei postea Christus Dominus instar Labani, ad se conversum gratiae osculo salutans, & cibans suo corpore alloquitur verbis v. 14. hujus cap. à Jacobo auditis: *Os meum, & caro mea &c.* Quod si dein in regendis ovibus suarum passionum fidelem & indefessum reperit servum, promittit, se ei in sponsam daturum pulcherrimam *Rachaelem*, aeternam gloriam, postquam *Liam*, vitae activae figuram, plurium meritorum foecundam matrem in hac mortali vita sibi prius copulaverit. Dum hic Christiane peccatori suadeo sinceram confessionem, apud Ecclesiae pastores deponendam, quaeres ex me: quas condiciones requirat rite peragenda confessio? responsurus dico imprimis: Sinceram veramque confessionem talibus terminis instituendam, ut eam
exci-

excipiens in claram peccatorum omnium (quod speciem & numerum concernit) notitiam deveniat, est pro dolor! reperire aliquos, qui adedò obscura methodò in explicandis suorum criminum sordibus utuntur, ut confusus auditor nesciat, quid iudicet. Accusant se in genere, quando forent declarandæ species. Sub dubio rem fatentur, quandò certitudinem cognitam habent. Culpam in alios, puta in fervos vel uxores transferunt, quam sibi imputare solis deberent. Confessionale accedunt non præmissò scrutiniò, quod totum confessario relinquunt: ut brevitatis gratiâ alios modò fileam errores, quos Theologi substantiales vocant, vel ex defectu requisitæ contritionis, vel propositi emergentes. Verùm quàm parum illi suo satisfaciant officio colliges exin: quòd Sacerdos in confessionali tum Medicum, tum Judicem agat. Sed quis medebitur vulneri, non satis detecto? *Quod enim medicina ignorat, non curat, ut asserit Trident. Sess. 14. cap. 5.* Quis Judicem feret justam sententiam super rem, quam non habet debite perspectam? audierat Pilatus, multis vocibus conclamari: Christum malefactorem esse; sed generali hâc accusatione non satur, ociùs interrogat: *Quid ergo mali fecit?* hinc regius David non genericè tantum, sed specificè se confessum testatur, exclamans: *Delictum meum cognitum tibi feci, & Injustitiam meam non abscondi*, in quæ verba S. Greg. plus est, inquit, *delictum cognitum facere, quàm manifestare: ille enim delictum cognitum facit, qui non solum quod fecit, annunciat, sed etiam peccati causam & originem narrat, qui non superscietenùs peccatum loquitur, sed & quando, & ubi, & quomodo, & si vel ex ignorantia, vel casu, vel studiò deliquerit, confitetur.* Errat, & vel maximè errat, qui culpam, quam fatetur in alios rejicit, Saulem imitans: Is cum à Samuele Propheta deprehensus, negare non posset, se pepercisse melioribus in exitio Amalech 1. Reg. 15. culpam subditis imputavit, asserens: *pepercit populus melioribus ovibus & armentis, ut immolarentur Domino.* Errant patiter, qui propriæ accusationis capaces, hoc onus in confessarium transferunt. Cur enim Propitius noster & filius Cain ad sui accusationem provocati, à Deo redarguti, & puniti fuere? respondet August. Serm. 19. de Sanctis: *Si Adam humiliter se accusasset, & in authorem suam culpam non retorisset, à paradiso non exulasset.* De Cain verò Ambros. asserit Orat. 5. Adversus Judæos, quòd quidem falsus sit; majorem esse iniquitatem suam, quàm ut mereatur veniam; peccatum tamen non eluerit. Rationem annectit: *Hic autem non dixit prior, sed expectavit, donec redargueretur à Deo;*
quin

quin potius illò redarguente negavit. Scruteris nunc : an confessiones tuæ nullum habeant ex his errorem ? & si aliquem deprehenderit, corrige.



FASCICULUS VIII,

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 30. lib. Genesis, in quo describitur sterilitas Rachaelis & inde concepta tristitia, partus Josephi.

N.47. Considera:

QUòd si tam probrosa fuerit in lege naturæ corporum sterilitas ; adeò, ut infœcunda Rachel marito suo conquesta sit ; *Da mihi liberos, alioquin moriar !* quàm probrosa in lege gratiæ existat animarum sterilitas, in hoc sita : quòd homines à tempore Baptismi, & ibi initi cum Christo Matrimonii, aut nullos aut raros dederint solidarum virtutum fructus, & inde nata merita. Proposita quidem numerantur plurima, quæ quilibet dante Deò & instigante Angelò tutelare concepit : at illa nunquam ad maturitatem & partum pervenère juxta illud Isaia c. 37. *Venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi.* Non sufficit cœlesti sponso, ut ipse testatur Cant. 7. *Videre si floruerit vinea, sed cupit videre : Si flores fructus parturiunt.* Florent autem tantummodò vineæ, cum fidelium mentes bona proponunt opera : sed fructus deest, si propositis in effectum deducendis desit labor ; nam homines imitantur arbores, quarum virtus & valor non ex floribus, ramis & foliis, sed ex fructibus teste Christo Dominò cognoscitur. Sæpè propositum bonum, quod in aurora prodiit, jam in meridie occubuit. Auditum à multis manè Davidicò ore : *Non movebor in aeternum ; sed antequam sol declinasset in vesperum,* de talibus pariter auditum est : *Avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* O quàm generosò propositò in ultima cœna exclamavit Petrus : *Domine paratus sum, tecum*